



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De clero, cui Christus panem hordeaceum lateri suo intinctum porrexit,
cap. 80

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

executiens, & tam verbo quam exemplo multos adificans. APOLLONIVS: Recordor superius te dixisse, iniqitatem Sodomæ fuisse saturitatem panis & abundantiam. CAESARIUS: Verba sunt Ezechielis Prophetæ, ait Moyses: Antequam subuerteret Dominus Sodomam, omnis eius regio irrigabatur sicut parvulus Domini, & sicut Ægyptus, eratque nimia fertilitatis. Vnde quia Sodomitæ comedationibus vacabant, per libidinem effuebantur. Gula luxuriæ plurimum accedit. APOLLONIVS: quid ergo? Estne periculose, si monachus pane saturaretur? CÆSARIUS: Quod superius dixi de lenticula, hoc modo dico de pane. In pane Sodomorum, eo quod panis cibus sit principalis, intelligitur copia omnium cibariorum, quibus illi abundabat: panis vero noster, quia grossus est & niger, magis est necessitatis, quam superfluitatis, & puto magis monachū peccare, si illum abhorreat, vel delicatum requirat, quam si eo satietur. Maxima quandoque in pane solet esse tentatio.

CAPVT LXXX.

DI v est, quod ad Claram uallem conuersionis gratia clericus venit delicatus valde; cumque panem conuentus, qui tunc temporis valde grossus erat, & pisa abhorret, atque ex ipso timore, non solum famis, sed & futuræ refectionis tabesceret, nocte quadam Saluator ei in visu apparuit, quo fratres vescebantur, frustum panis in manu tenens, quem ei porrexit, & ait: Comede panem hunc. Cui cum nouitius responderet: Domine nequaquam vesci potui pane hordeaceo, Christus vulneri lateris sui panem eundem intinxit, & porrectum comedere iussit. De quo cum gustasset, factus est sicut mel dulcis in ore eius. Ab illo enim tempore, panem siue cibos regulares, quos prius vix tangere potuit, cum multa delectatione comedit. Hoc scias, quod diabolus eos, quos decipere nequit per gulam, dejicere per indiscrētam & indebitam conatur abstinentiam.

CAPVT